


DEO OPTIMO MAX.



UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.


QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis duodecimâ Februarii M. DCC. XXXIX.

M. FRANCISCO POUSSE, Doctore Medico, Præside.

An à tenuiori quam à lautiori victu firmior Sanitas?

I.



A quæ nos alit substantia perpetuo fluit, avolat & dissipatur. Huic jacturæ supplendæ alimenta instituit provida natura. Hinc frequens cibi & potûs assumptio necessaria; quæ si immodica, vires potiùs opprimit quam reficit. Non de brevitate vitæ quæratur Homo, quam breviorem intemperantia sua reddit. Sapiat palato non alimentorum diversitas sed simplicitas; talia alimenta, talis & chylus; talis chylus, talis & sanguis, ex quo ritè oriuntur omnes corporis functiones sanitatis integritatem constituentes. Alimentorum

non ſit nimia moles; ventriculi motus impediretur, langueret effœta fibrarum vis oſcillatoria; digeſtio difficilior aut abolita, aut ſaltem depravata foret. Succus enim gaſtricus quorsùm penetraret maſſam alimentorum, dum Glandularum vaſa excretoria pondere veluti obruta & obturata ſtrangularentur? Hinc non ſatis attrita nec comminuta, non ſatis diluta nec ſubacta ciborum moles ut Chyli naturam induat. Gulæ igitur minùs conſule quam ventriculo & ſanitati. Sanitas pendet à nutritione, nutritio à digeſtione. Eligas ergo alimenta coctioni idonea; præbet ultrò tenuis, recuſatque lautior victus.

I I.

SANITAS ſola mortalium vera felicitas à functionum corporis integritate pendet: tandiu perſtant integræ functiones quandiu viget ſolida inter & liquida æquilibrium. Solida dum premunt, iiſque reſiſtentiam opponunt fluida, quæ ſolidorum momentum non coërceant, vigebit ſanitas. Sed caveas ne fluida inſpiſſentur; corrueret brevi œconomiæ animalis ordo; cui quidem perverſa victûs ratio nocet non mediocriter. Primæ digeſtionis error nunquam ab aliis emendari poteſt digeſtionibus; hinc ventriculus non immeritò dicitur morborum author & fomes. Quid mirùm? Suo operi quælibet corporis deſtinata eſt pars; alia ſecretionis, excretionis alia munus obit; nec ab officio aberrat dum quæ ſecernenda aut excernenda ſunt, momentum illius partis non ſuperant: uno verbo modò liquidorum moles in primâ digeſtione non præponderet, modò vis & motus ventriculi ſubigentis & coquentis maſſam alimentorum non imminuantur, tunc ſanè cæteræ ſecretiones perfectionis gradum adipiſcentur. Quod ut obtineas victum tenuem elige.

I. I. I.

PER victum tenuem intelligas non qui parcior & exiguus nimiùm, ſed eum cujus digeſtio labore caret. Veſci citra ſatietatem ſit lex inconcuſſa, digeſtio & alimentorum diſſolutio facilior feliciorque erit. His autem peragendis diceres totam incubuiſſe naturam, omnemque fere induſtriam ac vires impendiſſe. Maſticatione primò atteruntur alimenta, mox ſalivali ſucco imbuta muſculorum ope, mediante deglutitione ad ventriculum propelluntur, ibi novum præparationis gradum habitura. Ventriculus fibris muſcularibus & tendinoſis conflatur, quarum longitudinales aliæ, aliæ ſemicirculares decuſſatim diſpoſitæ ſunt, dilatationis & conſtrictionis capaces. Glandulis innumeris ſuccum tenuem dulcemque emittentibus interna turget ventriculi membrana: harum aliarumque partium munus illud eſt alimenta recepta calore benigno fovere ac veluti incubare. Crediſne ſummum atque integrum digeſtionis opus à ventriculo? erras. Duodenum ventriculus alter, ulteriori & perfectiori digeſtioni à naturâ dicatur; hujus præ gracilibus inteſtinis diameter major, anfractus triplex. Liquorum Bilis nempè & ſucci Pancreatici in illius cavitatem affluxus, & vaſorum Lacteorum paucitas probant maſſam chymoſam è ventriculo delapſam aliquandiu immorari, ad novam & perfectiorem partium evolutionem & defœcationem. Jam poſt ſubactos labores nutritioni crederes parem Chylum? At novam adhuc formam non modo cremoris ſed & lactei laticis

colore conſpicuam, qui in ſanguinem per lacteas venas deductus, quinque circiter horarum ſpatio à paſtu ſe immiſcet. Magna autem hominis debet eſſe ſollicitudo in alimentorum delectu ut naturæ operi nedùm ſanitati obſint, imo obſequantur: hoc à ſolo victu tenui non à lautiori ſperandum.

I V.

VICTUS ratio non tantum ab alimentorum paucitate quàm à ſubſtantiâ æſtimanda eſt. Alimenta tuendæ ſanitati idonea requiruntur quæ nutriendis ſuſtinendiſque ſufficiant partibus, non ſaturandis, aut ingurgitandis. Sæpè abundantior vel ſtrictior, vel viſcidior alimentorum compages, ventriculi vim obtundit aut imminuit; undè Ructus, Nauſeæ, Vomitus aliquando, membrorum languor, inteſtinorum tormina, ſæpè morbus. Succus nutritius partes quas ſubit infarcit, cruduſque ſtagnat; hinc partis obſtructio, morborum acutorum aliquando, ſed ſæpiùs Chronicorum fomes. Victum igitur tenuem habeas. Ex animalium familiâ eligas alimenta quæ ſuccum dulcem tenuemque præbeant; caro juvenilis ſit in delectu, animalium præſertim Vitulorum, Pullonum, Agnorum &c. E piſcibus numerus eſt ingens; ventriculo enim ut plurimùm conveniunt piſces, quia non ſunt ſtrictioris & denſioris ſubſtantiæ, ideoque coctu facilioris. Sint inter vegetabilia triticum, oriza, lentes & ea quæ pulpam albam dulcemque continent. Inter olera herbæ quædam & radices ſucco ſubdulci turgidæ ut Lactuca, Spinacia, Beta, Braſſica, Napus Sativa &c. hæc verè *Eupepta* dixeris alimenta, quæ pro ſubſtantiâ molli & aquosâ in partes minutiſſimas facili negotio dividantur. Facilis erit partium integrantium & eſſentialium ab excrementitiis evolutio, facilè ſucci ſalivalis & gaſtrici connubium. Felix erit & ſine tumultu digeſtio. Quod autem à victu tenui obtinebis, cum ſanitate firmiori, morbis rariùs obnoxiâ proindèque incolumi magis.

V.

AT non hominum idem vitæ genus nec eadem conſtitutio; undè nec idem debet eſſe victus. In alimentorum delectu habenda eſt ratio ætatis, temperamenti, ſexûs, anni tempeſtatum, regionis atque conſuetudinis. Infantibus propter maſticationis defectum, partiumque præſertim ventriculi imbecillitatem, Lac genuinum alimentum natura indicavit. Senibus propter partium ignaviam imminutamque perſpirationem tenuia requiruntur alimenta. Adoleſcentes pleniorem exigunt victum propter partium accretionem perſpirationemque auctam. Non eadem fœminis quæ maribus alimentorum competit quantitas, tùm propter partium molliorem texturam, tùm propter parciorem corporis exercitationem. Æſtate eadem alimenti quæ hieme aſſumpta quantitas naturæ moleſta eſt. Nec eadem eſt in diverſis regionibus victûs ratio. Parcior eſſe debet diœta eorum qui meridionales incolunt plagas, dùm innoxiè ſe ſe ſucculentioribus ingurgitant cibis qui ſeptentrionales. Hâc in regione ubi eſculentorum genus omne creſcit, ubi nec frigore nimio contrahuntur, nec calore immodico ſolvuntur artus, in victu ſervare modum convenit, quo poſito minùs ſint

obnoxii morbis homines; sanguinis bilisque compescantur & refrœnentur efferi motus. Quæquidem, ut toties pronuntiavimus inconcussisque probavimus argumentis, à solo tenui victu speranda sunt, ut deinde sanguis aliique humores succo tenui, dulcique de novo reparentur, solidæ partes irroratæ motum placidum & ex naturæ votis servent, undè secretionum sanitatisque incolumitas.

Ergò à tenuiori quàm à lautiori victu firmior sanitas.

Proponebat Parisiis JOAN. LUDOVIC. BAUDE DE LA CLOY, Audomareus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H., 1739, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1739.